

## RUDOLPHI IMPER. &amp; REGIS DECRETUM VI. ANNI 1595.

*De defensione Sclavoniae: Et poena Contrariantium Constitutionibus.*

## A r t i c u l u s 16.

Sclavonia in sui defensionem pro possibilitate feret auxilium:

§. 1. Et quia ibidem nonnulli Magnates et Nobiles ea, quae in medio ipsorum ratione ejusmodi contributionem et negotiorum statuuntur; renuere, seque eisdem Constitutionibus opponere consueverunt:

§. 2. Ne itaque hujusmodi Legum et Constitutionum publicarum contemptores impuniti remaneant: Statutum est; ut quotiescunque et quandocunque ii, qui poenam contra tales in ipso Regno statutam executuri sunt, ad exequendam insufficientes fuerint; extunc eis Comites auxilio sint: Iis autem etiam insufficientibus; Banus, suo Banali brachio praesto sit, ac duplum extorqueat: Ex quo id, quod Regno debetur, eidem Regno administrent, reliquum autem pro se reservent.

§. 3. Haec autem Constitutio de praeteritis etiam poenis exigendis intelligatur.

*Examinatores Dominorum Deputatorum nominantur.*

## A r t i c u l u s 44.

§. 1. Regni autem Sclavoniae; Reverendissimus Dominus Episcopus Tiniensis et Magister Caspar Petrichewich, Vice-Proto-Notarius Regni.

*Confiniis et militibus in Ungaria et Sclavonia provideatur.*

## A r t i c u l u s 54.

Dignetur etiam tam in Ungaria, quam in Sclavonia confiniis providere; et veteranis militibus de solutione satisfacere:

§. 1. Certum enim est; frustra has Constitutiones fieri, nisi confiniis et militibus sufficienter prospiciatur.

§. 2. Capitaneis praeterea et militibus ac possessoribus locorum finitiorum ad eorum supplicationes et protestationes; dignetur se resolvere, antequam hinc discedatur.

## RUDOLPHI IMPER. &amp; REGIS DECRETUM VII. ANNI 1596.

*Subsidium Sclavonicum in usum ejus Regni convertatur.*

## A r t i c u l u s 9.

Subsidium Sclavonicum in usum ejus Regni convertetur: Solveturque ibi dimidium more antiquo: Sicuti et coloni Turcis subjecti. \*)

\*) Adde, An. 1618. art. 36. An. 1647. art. 34. Et An. 1659. art. 86.